1401

Cracovien. Exemptionis
Super Circumscriptione.

In eadem Rota ut supra responsum Affirmative.
Vide Decisionem Sub. ab initio operis.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit locus Circumscriptioni in casu &c.*

1 *Rev. Pater.* PErtinet hoc Dubium ad *Circumscriptionem* tantum eorum Actorum, & Mandatorum, quæ Promothor Fiscalis Curiæ Cracoviensis, non obstantibus Apostolicis Exemptionis nostræ Privilegiis, nec obstante pacifica ejusdem Exemptionis possessione, nilque demum juvantibus specialissimis Superiorum Judicum Inhibitionibus, ausit in Curia sua, vices una simul gerens Partis, & Judicis, gerere, ac relaxare contra Reverendissimum D. Generalem Præpositum, & Religiosos Conventus de Miechovia: In anteacta Causæ Propositione quemadmodum irresolutum extitit principale Negocium, ita redditum æque fuit huic accessoriæ Contentioni Rescriptum = *Dilata* = Sed cum hodie redeat ad judicium Reverendissimorum PP. Causa principalis, hinc quo magis confidimus, illam iri definitam juxta Vota Reverendissimi Principalis, eo certius præstolamur, huic oblato Dubio fore responsuros = *Affirmative* =, velut humiliter etiam imploramus.

2 Et plane quoties ex Pontificiis Privilegiis concessis Ordini Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, eorumque Generali Præposito Miechovien. interdictum erat *omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, ne in Præpositum de Miechovia, Fratres, & alios Exemptos hujusmodi Jurisdictionem, Superioritatem, Visitationem, Dominium, aut potestatem aliquam exercerent*, uti latissime testantur tot Apostolicæ Bullæ, & maximè Leonis Papæ X. postremo loco confirmatæ a San. Mem. Innocentio XI., quas uberrime recenset, explicatque *contemporaneus Restrictus super Exemptione a §. 2. ad 15., & §. 32. & seqq. ad* 38. Quoties præterea iidem Generalis Præpositus, & Fratres Ordinis sui in dictæ Exemptionis plenaria Possessione tranquille quiescebant, ceù apprimè commonstrant tot jurisdictionales Actus, tot Episcoporum disertissimæ Confessiones, tot ineluctabilia, eaque judicialia Monimenta, ac ipsa præsertim, quæ nulla ratione potest evelli Sacri hujus Tribunalis Sententia edita *anno* 1760. contra Episcopum Præmisliensem, & in authoritatem prolapsa Rei judicatæ, quæ omnia cum geometrica quasi demonstratione, & claritate refert *idem Restrictus §. 43., & seqq. ad §.* 49., jam suomet ingenio consequens fluit, ut Circumscriptionis ope debeat obliterari id

omne

omne, quod à Promothore Curiæ Episcopalis Cracovien. gestum temerè fuit contra Exemptos Principales in vilipendium suorum Apostolicorum privilegiorum, læsionemque pacificæ illorum possessionis, & observantiæ, ut ad rem firmavit *Rot. in Ratisbonen. Jurisdictionis super Manutentione 15. Junii 1764. §. 7. coram Eminentissimo Zelada.*

3 Nec replicetur, quod in concernentibus Animarum Curam, & in Spiritualibus valeat Episcopus exercere suam ordinariam jurisdictionem etiam in Exemptos absque ulla nullitatis labe secundum sancita in Constitutione San. Mem. Benedicti XIV., quæ incipit = *Ad Militantis*; Quandoquidem inapplicabilis omninò est hypothesi objecta Benedictinæ Constitutionis censura. Alii quippe Actus sunt, qui respiciunt regimen temporale Ordinis nostri; Alii verò, qui spectant, respiciuntque ejusdem Ordinis Spirituale. Primi sanè Actus, sive prætensiones a Fiscali Cracoviensi excitatæ in Curia sua pertinent ad solutionem assertarum Decimarum faciendam noto Viro *Cyrillo Zuchovvski*, ad revocationem juris creandi Notarios, ad comportationem Privilegii Prothonotariatus, ad dimissionem juris deputandi Fiscalem, & extendendi pænas adversus Religiosos Ordinis, ad abrogationem pænarum inflictarum prædicto Zuchovvski, & ad alia hujus generis, ut recolligere quisque potest ex *præterito nostro Summario numer.49. litt.A. ad N.* Si autem perspicuum est, hujus naturæ Actus nil involvisse Spiritualitatis, sed dumtaxat respexisse gubernium temporale Ordinis, ex dispositione Juris pertinens ad Generalem Præpositum, perpetuò firmum, constansque remanet, eos Actus nonnisi in spretum Exemptionis fieri potuisse in Curia Cracoviensi.

4 Cæteri autem Actus utcumque viderentur concernere Animarum Curam, & Spirituale regimen, proùt sunt tria illa non sine stomacho recolenda Mandata Curiæ Episcopalis, *primum* nempe Prohibitionis usus Pontificalium Generali Præposito, *alterum* Suspensionis Confessariorum Ecclesiæ Miechovien., *postremum* verò publicationis Censurarum, & affixionis Cedulonum contra eosdem Generalem, & Religiosos Conventus Miechovien., cum adjuncta illa damnatissima inhibitione Procuratoribus, & Notariis quibusvis, ne Principalium nostrorum ullam susciperent defensionem, hi, inquam, Actus, qualescumque fuerint, semper coinquinati redeunt nullitatis vitio: Constabilito enim *in contemporanea nostra Allegatione super Cura Animarum*, quod Conventus de *Miechovia* sit *Caput Ordinis*, ibique suam habeat Ordinariam Sedem *Generalis Præpositus* Principalis, in proclive descendit, ut nec quoad Curam Animarum ullam sibi posset arrogare Jurisdictionem Episcopus, advocandi in Curia sua Religiosos Exemptos Principales. Vetabat namque id Tridentini Concilii dispositio *in cap. 11. sess. 25. de Regular.* Vetabat, & ipsa particularis

Constitutio ejusdem Pontificis *Benedicti XIV.* incipien. = *Firmandis* =, cujus virtute sciunt omnes, *ab Episcopi jurisdictione, Visitatione, & correctione etiam in his, quæ ad Animarum Curam, & Sacramentorum Administrationem spectent, declaratos esse Exemptos tam Sæculares, quam Regulares Parochos, qui Animarum Curam exercent in iis Monasteriis, seu Locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent*, ut ex §.13. laudatæ Constitutionis, quam plene adduximus *in nostra Allegatione super Cura Animarum*. Quo magis ergo ad salvanda turpissima Mandata Curiæ Episcopalis extranea est allegata Constitutio *Ad militantis* edita à Benedicto XIV., eo certius relata altera Constitutio ejusdem Pontificis, quæ casui nostro convenit, obliterat, inficitque id totum, quod Episcopalis Curia gessit in Religiosos Conventus Miechovien., ubi residet Generalis Præpositus, & Caput Ordinis.

5 Inevitabiliter vero locus esse debet Circumscriptioni eorum Mandatorum, eo quia relaxata fuerunt postquam, ad instantiam Reverendissimi Generalis præsentatum jam fuerat Episcopali Curiæ Monitorium exportatum ab A.C. super observatione Apostolicorum Privilegiorum, necnon manutentione in Possessione plenariæ Exemptionis ab omni Ordinaria Jurisdictione, ac respectiva *Circumscriptione* omnium Actorum exadverso factorum in spretum dictorum Privilegiorum, cum specialissima adjecta *Inhibitione*, ne quidquam è contra innovaretur, eoque minus idem Generalis, & Religiosi sui Conventus Miechoviensis quoquomodo molestarentur, ut *in præterito Summario num.50. litt.C., & num.51. litt.B., & D.*. *Si autem sufficit sola ostensio Privilegii Exemptionis, ad hoc ut Episcopus debeat supersedere, donec coram Superiore cognoscatur de jure suo; quanto magis hoc est affirmandum, quando, UT HIC, sumus in claris, Reum Conventum non esse de sua Jurisdictione* =, ut arguit in hæc verba *Rot. citata decis.47. num.26. part.15. Recent.*

6 Et plane nullitas contrariorum omnium Mandatorum, & Citationum comperta adeo fuit Reverendissimo Apostolico Nuncio, ut ne momento temporis hæsitaverit ille suo cum definitivo Decreto = *Eadem OMNIA MANDATA, Citationes &c. alias ATTENTATE, ET IN SPRETUM AUTHORITATIS SANCTÆ SEDIS emanata, suspendere* = ut patet *ex dicto præterito Summario num.52.*: Quid itaque plura ad obtinendam hodie dictorum Mandatorum Circumscriptionem? Si jam illa ex decreto Sacræ Nunciaturæ declarata fuerunt *attentata, & in spretum S. Sedis emanata*; Si ab hocce decreto Contradictores nostri nullam curarunt interponere Appellationem, jam res acta videtur, nec fieri aliter restat, quam ut à judicio Sac. Tribunalis eadem Mandata omnia, quæ definitivo Nunciaturæ decreto canonizata jam fuerunt attentata, & in spretum Sanctæ Sedis emanata, ho-

hodie Circumscriptionis remedio tollantur.

7 Ad elidendam efficaciam hujus Nunciaturæ decreti, quod altè percutit Adversarios, perditissimum est diffugium petendi Circumscriptionem tum ipsius decreti, tum & Actorum à Nobis factorum coram A.C.; Num enim Adversariis libet nobiscum ludere? Porro ii *in Commissione* porrecta Tribunali Signaturæ Justitiæ non somniarunt umquam postulare Circumscriptionem dictorum nostrorum Actorum, sed tantum petierunt Avocationem Causæ Exemptionis ab A.C. Gavotto, coram quo per viam supra recensiti Monitorii fuerat à Nobis introducta, ejusque remissionem ad Sac. Concilii Congregationem, ut sunt verba ejusdem Commissionis ibi = *Dignetur ideo S. V. oretenus injungere R. P. Auditori Signaturæ, ut committat ad Sacram Congregationem Concilii Causam, & Causas, de quibus agitur, unacum omnibus suis inciden. &c.* = Cum vero huic Commissioni datum fuerit rescriptum = *Ad Rotam una cum Monitorio, & tamquam in prima etiam cum facultate circumscribendi* =, utique quisque videt, quod facultas ista Circumscribendi intelligitur quoad Instantiam nostram pro Circumscriptione contrariorum Actorum contentam in ipsomet Monitorio, de quo *in præterito Summario num.51. litt.B., & D.*, numquam vero intelligi potest quoad Acta nostra facta coram A.C., & coram Reverendissimo Nuncio. Jam igitur si facultates suas metitur Sac. Tribunal à Commissione; si concordatum desuper Dubium pertinet tantummodo ad Circumscriptionem contrariorum Actorum, fieri numquam potest, ut audiantur Adversarii in ea, quam ad ingerendam confusionem, hodie suscitant querelam Circumscriptionis Actorum A.C., & S. Nunciaturæ; potissimum vero, cum nullum ab ingenio contrariorumDefensorum adducatur vel à longe nullitatis, aut attentati vestigium.

Quare &c. **Dominicus Franci.**

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis

Super Circumscriptione.

P R O

Rmo D.Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS.Sepulchri.

C O N T R A

R.D.Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

Gg

Facti.

20

Typis Lazzarini 1777.